



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus
voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. V. Scientia media tollit à Deo supremum dominium in nostras voluntates

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

illâ quæ ab altera attingitur : At juxta principia Adversariorum voluntas creata in suis effectibus & operationibus attingit aliquam rationem priorem & nobiliorem eâ, quæ per se primò attingitur à Deo : Ergo illa prius eligit & prius determinat. Maior est evidens : cum enim causa & effectus sint correlativa, judicandum est de prioritate & de posterioritate causarum secundum prioritatem, vel posterioritatem effectuum. Minor vero probatur. Juxta doctrinam Adversariorum voluntas creata attingit per se primò in actu & effectum quem producit rationem specificam, & determinat Deum ad illam; Deus vero per suum concursum attingit per se primò rationem individualem, & determinat voluntatem ad eliciendam hanc numero operationem, vel producendum hunc effectum in individuo: Sed in quolibet actu & effectum ratio specifica est prior, & perfectior individuali; cum prima constituat essentiam rei, secunda vero sit extra ejus naturam & quidditatem: Ergo juxta principia Adversariorum voluntas creata attingit in suis actibus & effectibus aliquam rationem priorem & nobiliorem eâ, quam Deus per suum concursum attingit.

§. V.

Scientia media tollit à Deo supremum dominium in nostras voluntates

145. **P**ROBATUR. Ille, qui habet supremum dominium in rem aliquam, potest eâ uti, eamque applicare ad quodcumque voluerit; quomodo cumque voluerit, & quando cumque voluerit in hac enim potestate utendi consistit jus dominativum, ut docent Theologi, & Jurisperiti; unde quia voluntas est regina & domina ceterarum potentiarum, & charitas aliarum virtutum, eas movent & applicant ad suos actus eliciendos. Ergo si Deus non possit applicare voluntates nostras ad libere volendum quidquid ipse voluerit eas velle; sed prius explorare debeat, & prævidere per scientiam mediam, quid illa ex innata libertate sint volitura; nec possit illarum determinationem & consensum prædefinite, & causare, tanquam primum liberum, & primum determinans; sed illum ab ea debeat expectare, & veluti emendicare, ac precariò obtinere, manifestum est, quod non habebit supremum & perfectum, ac regale dominium in voluntates nostras, sed politicum tantum & civile, quale maritus habet in uxorem, vel consul, aut magistratus in populum. Hoc autem repugnat Scripturæ & SS. Patribus: dicitur enim Proverbiorum 21. *Sicut divisiones aquarum; ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, vertet illud.* Quibus verbis Scriptura significat, cor Regis, quod inter omnia corda maxime liberum esse debet, ita esse sub manu & potestate Dei, & sub dominio ipsius, qualiter sunt aquæ sub manu hortulani, quas derivat, & dividit, quomodo cumque voluerit: ita quod sicut aquæ non resistunt divisioni, quæ manu hortulani fit; ita nec cor Regis Deo efficaciter illud moventi. Unde saepe docet Augustinus, *Deum habere cordium inclinandum omnipotentem suam potestatem. Illum magis habere in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi homines. Deo volenti salvum facere, nullum humanum resistere arbitrium; illumque de ipsis hominum voluntatibus facere quod vult, & quando vult &c.*

Confirmatur, & magis illustratur hæc ratio. Sicut Rex ille, vel Dominus non habet perfectum & supremum dominium in servos, vel in subditos, qui non possent eis quidquam præcipere, vel imperare, nisi quod prævideret & præceteret illos suâ sponte & propriâ inclinatione voluntarios, & qui non possent eos ad suam pertrahere voluntatem, sed potius cogeretur voluntati illorum se accommodare: tunc enim talis Rex, vel Dominus potius faceret voluntatem subditorum, & servorum, quam ipsi subditi & servi voluntatem Regis, vel Domini. Ita similiter Deus non habebit perfectum dominium in voluntates hominum, si non possit quidquam decernere, ac dei finire circa nostros actus liberos, nisi quod præscit & prævidet per scientiam mediam, homines ex innata libertate voluntarios; nec operabitur omnia juxta consilium voluntatis suæ, ut dicit Apostolus; sed potius secundum præscientiam & prævisionem voluntatis nostræ, ut olim dicebat Faustus. Certe si Superiores in Religione nihil aliud possent præcipere subditis, quam quod præviderent eos propriâ sponte & inclinatione naturali esse voluntarios, facillimum esset illis obtemperare, nec magna esset illorum autoritas, & parvum, ac fere nullum obedientiæ meritum foret.

Confirmatur amplius: In sententia Adversariorum verificari non potest id, quod dicit Augustinus, Deum scilicet magis habere in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi homines: Ergo illa contradicit Augustino, & tollit supremum & regale dominium, quod Deus habet in voluntates nostras. Consequentia patet. Antecedens probatur. Homines ratione perfecti dominij, quod habent in suos actus, possunt se libere determinare, & de facto se libere determinant ad quod voluerint, quando voluerint, & ubi voluerint: Ergo si Deus non possit sine læsione libertatis applicare & determinare voluntates hominum ad quod voluerit, & quando voluerit; sed debeat per scientiam mediam explorare futuram consensum voluntatis humanæ, & expectare, & quærere occasiones & opportunitates temporis, loci &c. manifestum est, quod non ita habebit in sua potestate voluntates hominum, ac ipsi homines.

§. VI.

Scientia media derogat divinæ omnipotentia, & enervat efficaciam gratia.

PROBATUR primò: Juxta principia Adversariorum, Deus servatâ libertate arbitrij nulli non potuit promittere Abraham filios spirituales per fidem & conversionem Gentium ex facularibus & thelauris suâ omnipotentia; sed solum ex præsupposita scientia media, quâ noverat, quod ista, vel illa gentes, tali tempore vocata ad fidem, creditura essent: vocata, inquam, a quali vocatione externa & interna; imò forte minor, quam alia Gentes, quæ non ei ediderunt: Sed hoc multum derogat divinæ omnipotentia, & enervat efficaciam divinæ gratia; Ergo & scientia media: Major patet, Minor probatur. Juxta hunc dicendi modum, quod Deus promissione adimplere potuerit, non provenit tanquam à primâ radice ab ejus omnipotentia, sed à potestate & determinatione liberi nostri arbitrij: nisi enim hæc præsupponeretur à Deo prævita per scientiam mediam, Deus ex tota sua omnipotentia, & ex virtute auxiliorum gratia, quæ ab illa proveniunt